

nectatur argumentum à facili, usitatò, laudabili a honorificò, q. d. quem antehac nostri non puduit, cum nec jam pudebit; qui olim tam promptè ac mirabiliter, è statu etiam periculosiori, salvavit, idem facere impræsentiariarum quoque haut gravabitur; is ipse, qui condonare potuit antehac facinora tam grandia, clementiam quoque parem fovebit nunc erga nos, ita ut clementiæ huic pristinae nihil interea decesserit, cum semper sui maneat similis nec mutetur; atqui Deus noster &c. Ergò. Concinnè igitur Lutherus, inseruit pronomen, Herr/der du. cum prius ut nudam recitationem reddidisset: Herr/ du hast Wohlgefallen an deinem Lande. Verbo autem רצה tale indicatur beneplacitum, quò Deus proprio motu singulariter planè complexus fuerat suum populum, ita ut in peculium præ cunctis nationibus aliis eligeret, augetet, liberaret, eveheret, &c. vide de radice hac *Cob. IX, 7.* jamjam רצה approbat Dominus opus tuum. *Psal. XL, 14.* רצה velis Domine, vel placeat tibi לרצוני eripere me *Psal. XLIV, 4.* salvavit ipsos lumen vultus tui, quia רצה dilexisti ipsos. *Psal. LXXVII, 8.* annon adjiciet לרצות favere amplius? *Psal. CII, 15.* quia רצי servi tui lapides ejus (Sionis.)

ארץ *terram tuam:*) i. e. terræ sanctæ incolas per meton. contin. cujusmodi etiam locutio adfuit *Psal. XXXIII, 8. L, 1. LXVI, 1. 4. LXXIV, 12. LXXXII, 8.* Dei autem terra aliàs hæc Regio Canaan vocatur ob peculiarem in eadem manifestationem, per tot miracula, conciones, &c. nec non propter destinationem ad cultum sacrum; item quia Deus regionem hanc populo suo promiserat, tradiderat, custodiverat, &c. unde etiam vocatur terra populi Dei. *Dan. VII, 23.* quam Deus dederat servo suo Jacob, *Ezech. XXVIII, 25. XXXVII, 25.* item terra Dei, *Deut. XXXI, 43. 2. Sam. VII, 23. Psal. X, 16.*

שוב *reduxisti:*) ita verbum שוב quod neutrale aliàs est, *Reverti, redire,* si construatur cum accusativo, transitivum fieri solet, *Reduxit, restituit,* ut *Deut. XXX, 3.* ישב & reducet Dominus שבות captivitatem tuam: *Nab. II, 3.* כשב reducet vel restituet Dominus excellentiam Jacobi: *Psal. CXXVI, 1.* כשבו quando reducet Dominus captivitatem Zionis: *Psal. LIII, 7.* כשבו cum reducet Dominus שבות captivitatem populi sui, &c. vide infra vers. 5. item *Jerem. XLVIII, 47.* & *Job. XLII, 10.* Dominus שבת restituit captivitatem Jobi, i. e. ex statu indigentia ac ærumnarum restituit in pristinam felicitatem.

שוב *captivitatem Jacobi:*) i. e. captivos Jacobi posteros, quando iidem conjunctim instar mancipiorum in Ægyptò male tractati, vel posthac particulatim ab invasoribus debellati fuerant, & vel corpore in regiones peregrinas instar mancipiorum abducti, vel quando in terrâ quidem sua relictis, variis tamen vexabantur oneribus ac spoliationibus, ita ut instar captivorum conclusi delitescerent in antris cavernisque montium, ceu passim legere est in libro *Judd.* Hanc igitur captivitatem reduxit Deus, concessis subinde heroibus, animosè populum in libertatem vendicantibus, securitatem in terra instaurantibus, &c. Occurrit autem hic idiotismus ille, ubi prius substantivum vires gerit adjectivi, ceu *Psal. V, 8. n.* multitudo gratia, i. e. gratia multa: *Psal. XXIII, 6.* longitudo dierum, i. e. dies longi, *Psal. L, 2.* perfectio pul-

1464
A chritudinis, *Psal. LXVII, 2.* gloria nominis &c. Vel si mavis, abstractum ponitur pro concretò, captivitas pro captivis, ut *Psal. LXVIII, 19.* captivitatem duxisti, captivos. Simul etiam in verbis, שבת שבו elegans deprehenditur paronomasia, quam Judæi vocant לשון נפול לשון שבו vocabulum cadens (vel sonans) juxta aut secundum vocabulum (alterum:) cujus generis exempla hætenus non pauca observavimus *Psal. XL, 4. 18. XXV, 16. LII, 8. LXIV, 5. LXIX, 30.* &c. Descendit verò nomen hoc à rad. שבת in captivitatem abduxit; & quidem nota masor. ostendit, lectum olim in Codd. aliquibus fuisse שבו per Jod, quod ipsum tamen ex melioribus aliis corrigitur substituendo Vav: quanquam per hanc terminationis variationem significatui nominis nil profus decedat.

EXPLICATIO VERSUS III.

אבסולת *abstulisti vel condonasti iniquitatem populi tui:*) i. e. gratiosè propter Messia promissi meritum ac intercessionem removisti reatum tum culpa, tum pœna, ita ut à populo eundem TRANSTULERIS in agnum illum sacrosanctum, portantem peccata mundi, *Job. I, 29.* & ab origine mundi occisum, *Apoc. XIII, 8.* Ita namque verbum אבסולת tulit, abstulit, onere aliquem levavit, (*Jes. XXX, 6. XLV, 20. XXII, II.*) si construitur cum voce, Peccatum vel iniquitatem designante, idem esse solet ac CONDONAVIT, uti dictum *Psal. XXXII, 5.* vide D. Höpf. *disp. de Psal. 32. th. 5.* Luth. olim: du nimmest weg die Missethat deines Volcks.

כסית *texisti omne peccatum eorum:*) i. e. adeò paternè populum tractasti, ac si nil unquam facti commisisset, imò sordibus peccatorum præpandisti velum vel tegumentum justitiæ Messia, ne in conspectum tuum eadem venirent, nauseam tibi concitanti, atque ad vindictam compellentia; quomodo v. g. operculum arca obvelabat tabulas legis, ne debita contra easdem commissa, conspectò hòc chirographo vel rationariò, Deo quasi in mentem venirent, *Rom. III, 25.* & quomodo excrementa ventris operienda erant in castris, superinjecta terrâ, *Deut. XXIII, 13. 14.* itemque sanguis bestia effusus, *Lev. XVII, 13.* (utrobique enim est verbum כסית) Ita *Psal. XXXII, 1.* beatum David prædicat כסית sectum peccato, vel qui tegumentum peccati est consecutus; postquam scil. ipsemet peccatum non TEXIT, vers. 5. (לא כסיתי) i. e. postquam sincere ac humiliter idem est confessus. Sic *Neb. IV, 5.* ne עונם ער operias peccatum ipsorum. Huc quodammodo referri etiam posset illud *Prov. X, 12.* ubi charitas dicitur operire peccatorum multitudinem, i. e. prudenter dissimulare, palàm non divulgare, aut rigide punire.

EXPLICATIO VERSUS IV.

אבסולת *collegisti vel avertisti aut abstulisti omnem indignationem tuam:*) i. e. inhibuisti justæ in nos iræ tuæ impetum, videlicet supplicia pœnasque passim fervientes; quas ipsas, instar ferarum latè ac undique ferventium, avocasti iterum, atque ad sua velut claustra collegisti. Hac ratione verbum hoc alias de cornu undique dispersarum collectione reperies *Num. XI, 32.* de collectione sanctorum Dei